Herrn Professor Meyer
hochachtend
d. Vf.

DE
OENOMAO GADARENO.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVA
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS IN REGIA VNIVERSITATE
EBERHARDINA CAROLINA TVBINGENSI
RITE CAPESSIVIT

AVCTOR
THEODORVS SAARMANN
GVESTPHALVS.

LIPSIAE.
TYPIS FEODORI REINBOTH.
MDCCCLXXXVII.

THEOD. ET NATHAN. BROCKHAVSIIS

PROPINQVIS CARISSIMIS

SACRVM.

THEOD. ET NATHAN. BROCKHAVSIIS

PROPINQVIS CARISSIMIS

SACRVM.

I.

De Oenomai vita et scriptis non servatis.

Oenomai philosophi cynici, quem adhuc nemo accuratiore quaestione dignum habuit, patria fuit Gadara[1] Coeles Syriae urbs, quae eiusdem sectae philosophos duos alios eosque, ut infra[2] probabo, Oenomao in scribendi genere similes tulerat Menippum et Meleagrum σπουδογελοίους[3]. aetate eum non multum Porphyrio — anno p. Chr. 232 vel 233 nato — antecessisse auctor est Suidas[4]. sed in Eusebii chronico Oenomaum sub Hadriani imperio floruisse legimus: (ed. Schoen. II 164)[5] Σέξτος φιλόσοφος καὶ Ἀγαθόβουλος καὶ Οἰνόμαος ἐγνωρίζετο, quibus praemittuntur: Πλούταρχος Χαιρωνεὺς φιλόσοφος ἐπιτροπεύειν Ἑλλάδος ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος κατεστάθη γηραιός. ex quibus Hieronymus effecit (ibid. 165): Plutarcus Cheroneus et Sextus et Agathobolus et Oenomaus insignes habentur. quem locum adtigit E. Rohde (Rhein. Mus. XXXIII in commentatione quae inscribitur „γέγονε in den Biographica des Suidas") mihique persuasit hac in re Eusebii testimonium minoris aestimandum esse quam Suidam. dixit enim ibidem p. 171: Offenbar hat hier Eusebius, nach beliebter Manier, eine Handvoll Männer auf ein Jahr fixiert, die ganz verschiedenen Zeitaltern angehören. Plutarch gehört höher hinauf, gleichermassen Agathobulus, welcher, als Jugend-

---

[1] Suid. s. v. Οἰνόμαος Γαδαρεύς, φιλόσοφος Κυνικός.

[2] p. 11 ss.

[3] Strb. XVI 2 29 p. 759. Steph. Byz. s. v. Γάδαρα.

[4] l. s. γεγονὼς οὐ πολλῷ πρεσβύτερος Πορφυρίου.

[5] cf. Hieron. ibid. 165. Georg. Syncell. 349 B. Marian. Scot. III 127.

lehrer des gegen 80 n. Chr. geborenen Demonax (Lucian. Demon. 3), selbst in den Anfängen der Regierung Trajans geblüht haben muss. Sextus, des Plutarch Neffe, der Lehrer des Marc Aurel, blühte frühestens unter Antoninus Pius: Suidas s. v. Σέξτος Χαιρωνεύς und Syncellus p. 666 18 setzen ihn gar erst in die Regierung des Marc Aurel. Was ist also bei so summarischem Verfahren auf die Unterbringung des Oenomaus an diesem allgemeinen Tummelplatz zu geben, gegenüber der positiven Angabe des Suidas, nach welcher Oenomaus nicht viel älter als Porphyrius gewesen sein soll? Sicher ist Porphyrius nicht umsonst als terminus ante quem genannt; er, dessen Schriften Hesychius so vielfach benutzt hat, mochte wohl des Oenomaus als eines vor Kurzem thätigen Autors gedacht haben; etwa, seiner Schrift κατὰ τῶν χρηστηρίων polemisch erwähnend, in dem Werke περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας. — in alia sententia sunt cum alii tum E. Zeller[1] qui Suidam errorem commisisse eiusque erroris causam inde repeti posse putat, quod apud Eusebium[2], cuius praeparationi evangelicae Oenomai fragmenta inserta sunt, statim post Oenomaum Porphyrius testis producitur, contra quem contendo et iam antea Porphyrium eodem modo commemoratum esse[3] et post nova ex Porphyrio excerpta lib. VI c. 1—5 adlata eiusdem libri capite septimo toto rursus Oenomai fragmenta proponi satis prolixa. — de graviore causa, qua commotus Suidam quam Eusebium sequi malim, videas infra p. 20 s. — denique ab ipso Eusebio (pr. ev. V 18 6) Oenomaus τὶς τῶν νέων nominatur.

Praeter ea quae dixi nihil fere de vita philosophi cognitum habemus nisi quod ipse V 22—23 tradit se ex Asia profectum Clarii Apollinis oraculum quod Colophone vigebat sapientiae adipiscendae causa adiisse, carmina obscura et

[1] Gesch. d. griech. Philos. III 1[3] 769 not. 1.

[2] pr. ev. V 36 5 et VI prooem.

[3] Porphyriana usque ad lib. V cap. 16 pertinent, cap. 18 iam Oenomai opus signatur.

vana accepisse, mercatorem quendam ex Ponto oriundum convenisse, paullo post falsum et iratum illam urbem reliquisse.[1]

De scriptis autem Oenomai paullo ampliora constant partim ex ipsius fragmentis partim ex aliorum scriptorum, Juliani imperatoris potissimum, locis colligenda. quibus in rebus explicandis hanc rationem secuturi sumus, ut primum quidem quae ad singulorum librorum titulos pertinere videantur exponamus, deinde vero fragmenta ab Eusebio servata in iudicium vocemus. cynicum eum fuisse cum negavisset solus Heumann[2], satis refutatus est a Bruckero[3], ut de hac re dicere supersedeam.

Conscripserat igitur Oenomaus teste Suida[4] primum quidem: περὶ κυνισμοῦ. — ex quo opere sine dubio provenit sententia quam servavit Julianus in or. VII 187 C: τοῦτο γοῦν ἔοικεν Οἰνόμαος οὐκ ἀτόπως λέγειν· ὁ κυνισμὸς οὔτε Ἀντισθενισμός ἐστιν οὔτε Διογενισμός. — videtur autem idem Julianus aliud simillimi generis Oenomai opus testari in or. VII 209 B: δοίη γὰρ ἂν ὑπολαβεῖν πολλοῖς περὶ αὐτοῦ (sc. τοῦ κυνισμοῦ) ταῦτα Οἰνόμαος. εἴ τί σοι τοῦ ταῦτα γοῦν ἐπελθεῖν ἐμέλησεν, ἐπέγνως ἂν σαφῶς ἐν τῇ τοῦ κυνὸς αὐτοφωνίᾳ καὶ τῷ κατὰ τῶν χρηστηρίων καὶ πᾶσιν ἁπλῶς οἷς ἔγραψεν ὁ ἀνήρ. cuius loci verba ἐν τῇ τοῦ κυνὸς αὐτοφωνίᾳ inepte conversa sunt a Petavio: „ex ipsis canis illius sermonibus“. sed ipse Wyttenbach[5], qui hanc ob rem Petavium vituperavit, sibi probabile esse dicit ipsum contra oracula librum sic inscriptum fuisse, cui coniecturae faveant αὐτόφωνοι χρησμοί ap. Lucian. somn. s. gall. 2 et Alex. s. pseudom. 26. quod si Juliano visum esset, eundem librum καί interposito bis ab eo

[1] si quidem hoc ex verbis V 23 3 ὅπου δέ μοι ἐκ Κολοφῶνος ἄμεινον πορεύεσθαι, οὐκέθ' οὕτως ἀφανὲς τῷ θεῷ concludere licet.

[2] act. philos. II 901. — [3] hist. philos. II 509.

[4] l. s. περὶ κυνισμοῦ. πολιτείαν. περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας. περὶ Κράτητος καὶ Διογένους καὶ τῶν λοιπῶν.

[5] epist. crit. super nonnullis Juliani locis (1769) p. 19.

significatum esse sumere deberes. at prorsus aliter res explicanda est. Julianum enim paullo supra de cynismo locutum hoc loco necesse erat significare Oenomai de cynismo librum, mihique veri simillimum est, cum non dicat ἐν τῷ περὶ κυνισμοῦ sicut Suidas, duplicem eidem libro titulum fuisse κυνὸς αὐτοφωνία ἢ περὶ κυνισμοῦ sicut γοήτων φώρα alter titulus fuisse videtur τοῦ κατὰ τῶν χρηστηρίων[1]. quibus cum titulis componi possunt cum aliorum scriptorum tum Luciani tituli nonnulli duplices. — atque voce αὐτοφωνία minime offendimur. nam quid mirum, si idem, qui de ceteris philosophis cynicis scripserat[2], qui ad principum cynicorum neutrum se adplicabat[3], proprio libro, quid ipse de cynismo sentiret, explanavit eumque vocavit „κυνὸς αὐτοφωνία κτλ.“?

Altero loco Suidas πολιτείαν Oenomai memorat. quo libro eum εἰρήνην et ὁμοφροσύνην commendasse concludam ex his locis: V 33 7 εὖ μὲν οἶκος οἰκεῖται, εὖ δὲ ἰδιώτης βίος, πόλεις δὲ ὁμοφρόνως καὶ ἔθνη εὐνόμως συνεστᾶσιν. V 27 2 εἰρήνης μᾶλλον κέλευε (codd. κελεύει sc. ὦ Ἄπολλον vel μάντι). cf. V 28 10. deinde neque tyrannidem neque populi omnium rerum potestatem ei ut cynico placuisse confirmatur ea ratione, qua tyrannos et populum inducit V 33 11—12; 35 1—2. praeterea conicere possumus eum gymnasia in civitate esse noluisse. fuisse enim eum pugilationis et luctationis contemptorem ex his potissimum locis efficitur: V 34 2 . . ἡ πυκτικὴ τῆς λακτιστικῆς οὐδὲν διαφέρει. ibid. 17: ὡς δὴ ὤφελες, ὦ μάντι, ἀλείπτης ἡμῖν ἀντὶ μάντεως γενέσθαι ἢ καὶ μάντις ἅμα καὶ ἀλείπτης, ἵν' ᾖ ὥσπερ χρηστήριον Δελφικὸν οὕτω καὶ γυμναστήριον. καὶ γὰρ οὐδ' ἀλλότριον ἦν ἀγῶνος Πυθικοῦ Πυθικὸν εἶναι καὶ τὸ γυμναστήριον. —

Sequitur apud Suidam opus περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον

[1] cf. p. 15 s.
[2] Suid l. s. περὶ Κράτητος καὶ Διογένους καὶ τῶν λοιπῶν.
[3] Julian. or. VI 187 C quem locum supra p. 7 exscripsi.

φιλοσοφίας[1] inscriptum. notum enim est stoicos potissimum Homerum, quippe cuius carminibus philosophiae sententiae et praecepta continerentur, plurimi aestimasse; cynicum Oenomaum non ita iudicasse facile ex eis quae ex Homero adtulit cognosces. V 19 2 Minos maris imperium tenuisse dicitur et optimus legum constitutor fuisse et Homero visus esse Jovis magni socius (τ 179) et apud inferos iudex (λ 569 s.); sed infra (§. 3) Oenomaus suam ipsius de Minoe sententiam protulit: . . ἐπ' ἄνδρα . . ., ὅς οὐδ' αὐτὸ τοῦτο ἠπίστατο δικάσαι. itaque Homeri sententiam pro nihilo duxit. tum conferas V 36 2 οἳ (sc. οἱ θεοί) εἰ ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφειώρων (ρ 487), οὐκ ἂν τοσοῦτος ἤρθη λῆρος. negat igitur scriptor id, quod Homerus de deorum vindicta pronuntiavit, ita se habere. ac statim infra: τὸ κακὸν ἐπιδιαβὰν καὶ εἰς τὸν Ὄλυμπον, ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί (ζ 42). καίτοι εἰ ἀσφαλὲς ἦν (re vera autem non erat), οὐκ ἂν ἦν ἐπιβατὸν λήρῳ. conferas etiam V 34 6 et 33 16 ubi Homerum cum scarabaeo componit!

Denique Suidae lexicon praebet: περὶ Κράτητος καὶ Διογένους καὶ τῶν λοιπῶν, quem librum Julianus quoque intellegit in or. VII 211 D 212 A: οὗτος οὖν ὁ Διογένης ὁποῖός τις ἦν τά τε πρὸς τοὺς θεοὺς καὶ τὰ πρὸς ἀνθρώπους, μὴ διὰ τῶν Οἰνομάου λόγων μηδὲ τῶν Φιλίσκου τραγῳδιῶν. . ., ἀλλὰ δι' ὧν ἔδρασεν ἔργων ὁποῖός τις ἦν, γνωριζέσθω. sane Oenomaum Diogenem non prorsus secutum esse vel ex dicto illo: ὁ κυνισμὸς οὔτε Ἀντισθενισμός ἐστιν οὔτε Διογενισμός satis adparet. atque Julianus ipse, quid distet potissimum suo iudicio inter eos, his indicat: ἔστω δὴ μὴ κατὰ τὸν Οἰνόμαον ὁ κύων ἀναιδὴς μηδὲ ἀναίσχυντος μηδὲ ὑπερόπτης πάντων ὁμοῦ θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων, ἀλλὰ εὐλαβὴς μὲν τὰ πρὸς τὸ θεῖον ὥσπερ Διογένης. or. VI 199 A.

Idem Julianus tragoedias ab Oenomao scriptas esse solus auctor est quantique aestimandae sint in or. VII 210 C expo-

[1] cf. Jons. de script. hist. philos. III 7 8 p. 37.

nit, quem locum integrum adferre liceat: τὰς ἀναφερομένας δὲ εἰς τὸν Διογένη τραγῳδίας, οὔσας μὲν καὶ ὁμολογουμένας κυνικοῦ τινος συγγράμματα, ἀμφισβητουμένας δὲ κατὰ τοῦτο μόνον, εἴτε τοῦ διδασκάλου, τοῦ Διογένους, εἰσίν, εἴτε τοῦ μαθητοῦ Φιλίσκου, τίς οὐκ ἂν[1] ἐπελθὼν βδελύξαιτο καὶ νομίσειεν ὑπερβολὴν ἀρρητουργίας οὐδὲ ταῖς ἑταίραις ἀπολελεῖφθαι; ταῖς Οἰνομάου δὲ ἐντυχών· ἔγραψε γὰρ καὶ τραγῳδίας τοῖς λόγοις τοῖς ἑαυτοῦ παραπλησίας, ἀρρήτων ἀρρητότερα καὶ κακῶν πέρα, καὶ οὐκέθ' ὅ τι φῶ περὶ αὐτῶν ἀξίως ἔχω, κἂν τὰ Μαγνήτων κακά, κἂν τὸ Τερμέριον, κἂν πᾶσαν ἁπλῶς αὐτοῖς ἐπιφθέγξωμαι τὴν τραγῳδίαν μετὰ τοῦ σατύρου καὶ τοῦ μίμου, οὕτω πᾶσα μὲν αἰσχρότης, πᾶσα δὲ ἀπόνοια πρὸς ὑπερβολὴν ἐν ἐκείνοις τῷ ἀνδρὶ πεφιλοτέχνηται· καὶ εἰ μὲν ἐκ τούτων τις ἀξιοῖ τὸν κυνισμὸν ὁποῖός τίς ἐστιν ἡμῖν ἐπιδεῖξαι, βλασφημῶν τοὺς θεούς, ὑλακτῶν πρὸς ἅπαντας, ὅπερ ἔφην ἀρχόμενος, ἴτω, χαιρέτω, γῆν πρὸ γῆς, ὅποι βούλοιτο κτλ. — composuit igitur Julianus Oenomai tragoedias cum eis quas scripsit Diogenes cynicus vel eius discipulus Philiscus, quarum una, cui titulus erat Thyestes, carnis humanae esum defensum esse Laert. Diog. VI 80 tradit, ut suo iure iudicaverit Duemmler[2] ea quae volgo nefaria putarentur naturalia viderentur cynicis, his tragoediis defensa esse, igitur scaenae eas non esse destitutas. Oenomaum autem, quamquam ne is quidem dramata quae in scaenam prodirent conscripsit, omnino tragica argumenta non tractasse adparet ex ea ratione qua Euripidis fabulas commemorat[3], ut his in rebus non consonet cum Diogene. sed nescio an quae alio loco Julianus de eiusdem Diogenis tragoediis dixit magis in Oenomaum cadant: or. VI 186 C αἵ τε γὰρ θρυλούμεναι Διογένους τραγῳδίαι Φιλίσκου τινὸς Αἰγινήτου λέγονται εἶναι, καί, εἰ Διογένους δὲ εἶεν, οὐδὲν ἄτοπόν ἐστι τὸν σοφὸν παίζειν, ἐπεὶ καὶ τοῦτο πολλοὶ φαίνονται τῶν

[1] οὐκ ἂν addidit Cobet.

[2] Antisthenica, Halis 1882. p. 68.

[3] Eus. V 33 13—14.

φιλοσόφων ποιήσαντες. ἐγέλα τοι, φασί, καὶ Δημόκριτος ὁρῶν σπουδάζοντας τοὺς ἀνθρώπους· μὴ δὴ πρὸς τὰς παιδιὰς αὐτῶν ἀποβλέπωμεν, ὥσπερ οἱ μανθάνειν τι σπουδαῖον ἥκιστα ἐρῶντες... videtur igitur ipsis tragoediis Diogenes iocatus proprium illud cynicorum dicendi genus exercuisse. idem Oenomaum suis tragoediis, quae illarum ἑταῖραι appellantur, coluisse non est cur negemus, praesertim cum comprobari possit eum rectissime recipi in numerum cynicorum σπουδογελοίων de quibus disputavit C. Wachsmuth in sillogr. graec. ed. alt. (Lipsiae 1885) p. 66—72. — etenim hi cynici, qui σίλλους vel similia opera condiderunt, versus Homeri et Hesiodi detorquere atque παρονομασίαις et ἀμφιβολίαις uti solebant[1]. — atque Homeri quidem versus Oenomaus saepius adfert etsi non plane detortos tamen paullum mutatos, certe ironice eis usus: V 19 2 Ὁμήρῳ ἐδόκει (sc. Μίνως) Διὸς μεγάλου εἶναι ὀαριστής (codd. — στύς). cf. supra p. 9. V 36 2 τρὶς γὰρ ὡς ἀληθῶς μύριοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ: Hes. op. 252[2]. ibid. οἳ (οἱ θεοί) εἰ ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφεώρων — quod non faciunt Oenomai iudicio —:

ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες ρ 487.

ibid. (§. 2) εἰς τὸν Ὄλυμπον, ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί — sed non est —:

Οὔλυμπόνδ', ὅθι φασὶ θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί ζ 42. — quod si Homericos quidem et Hesiodeos versus eum detorsisse ex paucis quae servata sunt colligi non potest, oraculorum versus interdum acriter detorquet, velut

V 31 1 Ἀρχίλοχ'[3] εἰς Θάσον ἐλθὲ καὶ οἴκε' ἐϋκλέα[4] νῆσον:
Ἀρχίλοχ'[3] εἰς νοῦν ἐλθὲ καὶ ἐν πενίᾳ μὴ ὀδύρου.

ibid. §. 2—3 oraculi Cretensibus dati tres priores versus

Φαιστοῦ καὶ Τάρρας ναέται δίου τε Πολύρρου
Πυθῷον κέλομαι τελέειν Φοίβοιο καθαρμὸν
εὐαγέοντας, ὅπως Κρήτην καταναιετάητε . . .

---

[1] cf. Wachsmuth l. s. p. 71 s.
[2] significat alios Hesiodi versus (op. 289 ss.) V 22 2.
[3] codd. Ἀντίοχ' mutavit Hosten ad Steph. Byz. s. v. Θάσος.
[4] codd. οἴκει εὐκλέα emendavit v. Herwerden (Mnemos. XIV 44).

sic mutat:

λήρου καὶ μανίας ναίεται πολλοῦ θ' ἅμα τύφου
οἰκεῖον τελέειν κέλομαι λήροιο καθαρμόν
εὐαγέοντας, ὅπως σοφίαν καταναιετάητε . .

V 35 1 oraculi Cypseli alter versus

Κύψελος Αἰακίδης βασιλεὺς κλεινοῖο Κορίνθου

sic detorquetur

Κύψελος, ὅς δὴ πολλὰ Κορίνθῳ πήματα τεύξει.

ibid 2: εὐδαίμων Φάλαρις καὶ Μελάνιππος ἔφυ
θείας ἀγητῆρες ἐν ἀνθρώποις διχονοίας. detorsit igitur versus ab Athenaeo[1] servatos

εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ
θείας ἀγητῆρες ἐφαμερίοις φιλότατος.

conferas etiam versus V 34 2 ὦ εἰδὼς ψάμμου κτλ. cum oraculo primum apud Herodotum[2] occurente οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου κτλ.

Neque deest apud Oenomaum παρονομασιῶν studium; ex quibus has exhibebo: V 23 1 ἐπεὶ δέ μοι τὰ τῆς ἐμπορίας ἤδη πρὸ ὁδοῦ ἦν, ἀνδρὸς δὲ ἔδει τοῦ ξεναγωγήσαντος ἐπὶ τὴν σοφίαν, ἄπορος δὲ ἐφαίνετο οὗτος, . . V 33 8 οὐκ ἀπεικότως ἄρα σοι φονεὺς (Archilochi) οὐκ ἄξιος εἶναι . . . τῆς παρ' ὑμῶν φωνῆς, ἄνδρα φωνάεντα ἀποκτείνας. ibid. 11 εἰ μὲν οὖν ὁ κρότος ἱκανὸς κριτής, . . οὐδὲν ἔτι λέγω. V 34 14 τί γὰρ δὴ καὶ μέλει τοῖς ἀφιλανθρωποτάτοις θεοῖς ἀνθρώπων καταχαλουμένων ὅσονπέρ ἀδριάντων; V 36 4 . . ἐκάθητο (sc. ὁ κορμός) . . ἀναμένων ἕως ἄνθρωποι μαινόμενοι . . ἐγκυρήσαντες αὐτῷ οὐ διοπετὲς ἀλλὰ ποσειδωνοπετὲς ἡγήσωνται κἄπειτα εἰς ἄστυ ἀπαγάγωσιν ὥσπερ τινὰ ἀγαθὴν τύχην, κακὴν οὖσαν ὡς ἀληθῶς οὐ τύχην ἀλλὰ τυφεδόνα. VI 7 37 ἡμεῖς δέ, ὦ Ζεῦ καὶ Ἄπολλον, τί πάθωμεν, οὐδὲν ὄντες αἴτιοι τῆς ὑμετέρας νομοθετήσεως τουτέστιν ἀναγκοθετήσεως; 40 ἐγὼ μὲν ἀρετὴν ἐπαινῶ, ὑμᾶς δὲ τοὺς ἐναρέτους (Chrysippum Cleanthem ceteros) οὐκ ἐπαινῶ. — vides igitur haud exiguam similitudinem ex-

[1] XIII 78 p. 602 C. [2] I 47.

stare inter Oenomaum et cynicos illos σπουδογελοίους. atque cum Wachsmuth in fine commentationis (l. s. p. 85) dicit recentiore demum aetate exeultum esse genus litterarum sillis simillimum neque ab Atticis sed a Syris, Menippo Gadareno, Meleagro Gadareno, Luciano Samosatensi, iam licet his addere Oenomaum Gadarenum, cuius patria cum his omnibus et aetas cum Luciano optime conveniunt.

Alius Oenomai scriptoris nomen non occurrit nisi forte apud Suidam s. v. Διογένης ἢ Οἰνόμαος, Ἀθηναῖος, τραγικός. γέγονεν ἐπὶ τῆς τῶν λ' καταλύσεως. δράματα αὐτοῦ· Ἀχιλλεύς, Ἑλένη, Ἡρακλῆς, Θυέστης[1], Μήδεια, Οἰδίπους, Χρύσιππος, Σεμέλη. ex qua Semele adfert Athenaeus (XIV 38 p. 636 A) nonnullos versus, quibus praemittit: Διογένης ὁ τραγικὸς διαφέρειν πηκτίδα μαγάδιδος λέγων οὕτως ἐν τῇ Σεμέλῃ. priores illas septem fabulas (Ἀχιλλεύς — — Χρύσιππος) Diogeni cynico tributas fuisse Laertius Diogenes VI 80 adnotat, sed iam Satyrus adsignavit Philisco Aeginetae. Suidas autem Diogenis eas fuisse existimavit confuditque cum hoc Diogenem tragicum quem Σεμέλην scripsisse novimus. hoc ita se habere fusius exposuit Meineke[2]; sed quod de cognomine (ἢ Οἰνόμαος) disputavit, mihi minime persuasit. dixit enim Oenomao cognomen Diogenem sive ab ipso sive ab aliis impositum fuisse appellavitque eum „germanum Diogenis simium", cum uterque fuerit cynicus, uterque πολιτείαν scripserit, uterque tragoediarum auctor habitus sit. nullo autem modo Oenomaum vocari potuisse „Diogenem", unum illud de cynismo dictum (exscripsi

[1] citat Diogenis fabulas etiam Philodemus (de philos.: vol. Hercul. VIII col. 14 Neap. 1844): [Διο]γένης ἔν τε τῷ[ι Ἀ]τρεῖ· κα[ὶ] τῷ Οἰδίποδι [κα]ὶ τ[ῷ] . . (cf. Gomperz: Zeitschr. f. oesterr. Gymn. 1878 p. 255). quae fabula „Atreus" quia in apographo Neapolitano et apud Laert. Diog. VI 80 omittitur, Duemmler (l. s. p. 68) suspicatus est aut a Philodemo Thyestem quoque commemoratum fuisse aut, quod ego malim, Atreum ipsam fabulam „Thyestes" inscriptam significare.

[2] exerc. in Athen. deipnosoph. spec. I 45—47. (1843).

p. 7) clare ostendit. ceterum — id quod voluit Zeller (l. s. III 1^3 769 3) — fortasse Hesychius memor orationis Juliani, qui (or. VII 210 C D) prius Diogenis fabulas commemorat, tum statim ad Oenomai tragoedias se convertit, Diogenem et Oenomaum eundem hominem esse arbitratus scripsit Διογένης ἢ Οἰνόμαος.

Restat ut hoc loco mentionem faciam epigrammatis cuiusdam in Anthol. Palat. IX 749 servati:

Οἰνομάου.

Εἰς Ἔρωτα ἐν καυκίῳ γεγλυμμένον.[1]
„Ἐν κυάθῳ τὸν Ἔρωτα; τίνος χάριν; ἀρκετὸν οἴνῳ
„αἴθεσθαι κραδίην· μὴ πυρὶ πῦρ ἔπαγε."

qui versus num Oenomai cynici sint, vereor ut discerni possit. facetiarum enim specimen esse quis negaverit? sapientia vero nulla inest. sane quod hoc disticho de amore profertur, cum cynica doctrina optime congruit, neque post ea quae p. 11 s. diximus eo quod forma epica (κραδίην) et proverbium (μὴ πυρὶ πῦρ ἔπαγε) intexta sunt, offendimur. sed cum certius nostrum philosophum illorum versuum auctorem fuisse confirmare non possimus, equidem cum Jacobsio (anth. graec. XIII 926 a. 1814) iudicium differo. —

ad eiusdem generis poculum spectare videtur epigramma Rufini (Anth. Pal. V 93):

Ῥουφίνου·

Ὥπλισμαι πρὸς Ἔρωτα περὶ στέρνοισι λογισμόν
οὐδέ με νικήσει μοῦνος ἐὼν πρὸς ἕνα
θνατὸς δ' ἀθανάτῳ συστήσομαι· ἢν δὲ βοηθὸν
Βάκχον ἔχῃ, τί μόνος πρὸς δύ' ἐγὼ δύναμαι;

[1] audi Plin. n. h. XXXIII 2 4: heu prodiga ingenia, quot modis auximus pretia rerum! accessit ars picturae et aurum argentumque caelando carius fecimus, didicit homo naturam provocare. auxere et artem vitiorum inritamenta, in poculis libidines caelare iuvit ac per obscenitates bibere.

II.

De fragmentis ex libro qui γοήτων φώρα inscribitur servatis.

Jam ad ipsa fragmenta, quae ex libro γοήτων φώρα inscripto aetatem tulerunt, tractanda accedamus. inveniuntur ea apud Eusebium[1]: praep. evang. V 19—36 et VI 7 ex quibus capitibus nonnulla partim ad verbum[2] partim verbis mutatis[3] desumpsit Theodoretus; praeterea oraculum de Cleomede editum post Eusebium V 34 2 idem Theodoretus[4], Socrates[5], Nicephorus Callistus[6] adferunt.

De titulo.

Nominavit illum librum Julianus solus τὸ κατὰ τῶν χρηστηρίων (or. VII 209 B. cf. p. 4), ea causa, opinor, commotus, quia tantum aberat, ut cum eis quae Oenomaus hoc libro contra vaticinationem Apollinem cunctos deos dixit consentiret, ut id ipsum nomen γόητες de vatibus usurpatum perhorresceret alterumque titulum praeferret. de volgari titulo

[1] intellegit Eusebius Oenomaum etiam eis locis quibus de cynicis oracula impugnantibus verba facit: l. s. IV 2 13. IV 3 14. VI 9 32.

[2] Theodor. de cur. graec. affect. (ed. Gaisford 1831)
(VI 8 ss. —) p. 86 23—33 = Eus. l. s. VI 7 2 ἀπόλωλε — 3 fin.
86 34—42 = „ VI 7 18
86 43—46 = „ VI 7 20.

[3] Theodor. (X 24 ss.) 139 35—141 38 conferas cum Eus. V 18—36 et (VIII 26 s.) 115 13—31 cum V 34 2—5.

[4] bis illud adtulit: (VIII 26) 115 17—18 et (X 38) 141 29—30

[5] hist. eccl. III 23 (p. 220 A).

[6] X 36.

qui est γοήτων φώρα pauca addamus. sic enim, non — quod nonnullis viris doctis ut Dindorfio,[1] Bernaysio[2] videbatur — γοήτων φωρά, scribendum est. de notione quidem nemo dubitabit: proposuerat sibi Oenomaus, ut vates oracula fundentes convinceret. itaque quaestio oritur, num verbo φωρά detectionis quoque notio exprimi possit. Hesychius quidem hoc tantum de eo habet: φωρά, κλοπή. quo sensu legitur apud Bionem IX 7 (Herm.): οὐκ ἐπὶ φωρὰν
ἔρχομαι οὐδ' ἵνα νυκτὸς ὁδοιπορέοντα λοχήσω,
ἀλλ' ἐράω. — atque in hymn. Hom. III 134. 136: ἀλλὰ τὰ μὲν κατέθηκεν ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον
. . . .
σῆμα νέης φωνῆς . . Hermann optime restituit φωρῆς interpretatus: illa sublata alte in loculis reposuit, ut essent monumenta puerilis furti. — neque alio modo explicari possunt quae in tabula Delphica exarata sunt (Dittenberger, syll. inscr. graec. I n. 233 20 ss.): εἰ δέ τις τούτων τι ποιήσει . . i. e. si quis argentum ab Attalo missum in aliis potius rebus quam in educandis pueris et in rebus divinis faciendis consumpserit, . . κατάμαστρος ἔστω ἱερῶν χρημάτων φωρᾶς i. e. μαστρῶν iudicium subeat (cf. ibid. not. 7 et 8) ut sacrum argentum furatus. — denique respice hos Crinagorae versus (Anth. Pal. IX 516 1—3):

Ἔρδοι τὴν ἐμαθέν τις, ὅπου καὶ ὑπ' Ἄλπιας ἄκρας
ληϊσταὶ λασίαις ἀμφίκομοι κεφαλαῖς,
φωρῆς ἁπτόμενοι, φύλακας κύνας ὧδ' ἀλέονται . . .

vides igitur his locis stare vocem φωρά quippe quae sonet furtum. sed priusquam eos locos, quibus desideratur notio investigandi vel detegendi, percenseamus, audiamus Hesychium — a Luebberto[3] primo ad scripturam γοήτων φώρα confirmandam adscitum —, qui s. v. φωρᾶν haec adnotat: φωρᾶν

[1] in editione Eusebii, Lipsiae 1859. de locis cf. p. 17[1].
[2] Lucian u. d. Kyniker p. 35.
[3] in programmate: de Pindaro nomorum Terpandri imitatore. Bonnae 1885 p. 15.

τὸ τὰ κλεψιμαῖα ζητεῖν. καὶ φωριᾶν. φώρην δὲ τὴν ἔρευναν. quo testimonio nisus God. Hermann in hymn. Hom. III 385 codicis Moscoviensis lectionem suo iure recepit:

καί που ἐγὼ τούτῳ τίσω ποτὲ νηλέα φώρην (ceteri φωνήν): rependam ei investigationem antri odiosam. — atque cum ionicum φώρη attice sit φώρα, rectum esse apud Achillem Tatium VII 11 quod cod. Vat. Thuan. praebent, censere debemus: εἰ φονέα ἐπ' αὐτοφώρῳ λαβόντες, — μεῖζον γὰρ τῆς φώρας τὸ αὐτὸν ἑαυτοῦ κατειπεῖν — οὐ δὴ κελεύετε τῷ δημίῳ . . i. e. ipsa deprehensio vel detectio caedis non tantum valet quantum illud si quis se ipse accusat. — neque dubito etiam Laert. Diog. I 7 96, ubi codices valde discrepant, recipere: φανεροῦ δὲ γενομένου (sc. ὅτι τῇ μητρὶ Κρατείᾳ συνῆν) βαρὺς πᾶσιν ἐγένετο (sc. Περίανδρος) διὰ τὸ ἀλγεῖν ἐπὶ τῇ φώρᾳ. Oenomaici denique libri titulum codices Eusebiani[1] semper per o scriptum tradunt, ut ex his nihil colligere liceat. confirmatur autem scriptura φώρα quodam modo ex Theodoreto, l. s. 86 19 ss., ubi Οἰνόμαος ὁ κυνικὸς . . τὸ μὲν ξύγγραμμα φώραν γοήτων ὠνόμασε praebent cod. Va et B alter „duorum optimae notae codicum“ (Gaisf. in init. praef.). — itaque cum Hesychii verba, quo modo scribendum sit, diserte doceant et loci, quibus vox quae agitur occurrit, nostrae rationi faveant, ego quidem, ut semper, cum vox idem ac φώρασις valet, non φωρά sed φώρα, sic etiam apud Eusebium et Theodoretum γοήτων φώρα scribi oportere censeo. — ad titulum operis ipsum spectat sine dubio ἀφώρατος vocabulum quod invenis apud Oenomaum ter: V 20 8 ἵνα καὶ νικῶσι καὶ ἡττωμένοις ᾖς ἀφώρατος κακουργῶν. V 24 6 ἵνα γένηται μάντευμα ἀφώρατον τῷ σοφισμῷ. V 25 7 μηδὲν δὲ ἧττον ἀφώρατον εἶναι τὸ σόφισμα. —

γόης vox cohaerere videtur cum γοᾶν, γόος (cf. latinum

[1] φοράν V 18 6, φορᾶς (unus φθορᾶς) V 21 6, φοράν VI 6 74. miror quod Gaisford duobus prioribus locis φωράν, tertio et in indice φώραν recepit.

incantare)[1] atque eo quo Oenomaus floruit saeculo saepius de eis qui oracula vana edebant usurpabatur: Plut. Cic. 17 τοῦτον (sc. Κορνήλιον Λέντλον) . . κεκινημένον ὑπὸ Κατιλίνα διέφθειραν ἐλπίσι κεναῖς ψευδομάντεις καὶ γόητες ἔπη πεπλασμένα καὶ χρησμοὺς ᾄδοντες. de Pyth. orac. 25 extr. ὅθεν οὐχ ἥκιστα [ἡ]ποιητικὴ δοκοῦσα κοινὴν ἐμπαρέχειν ἑαυτὴν ἀπατεῶσι καὶ γόησιν ἀνδρώποις καὶ ψευδομάντεσιν ἐξέπεσε τῆς ἀληθείας καὶ τῆς τρίποδος. Lucian. dial. mort. 14 5 ὁ Ἄμμων γόης καὶ ψευδόμαντις ἠλέγχετο καὶ οἱ προφῆται κόλακες. Alex. 1 προστάττειν τοῦ Ἀλεξάνδρου . . γόητος βίον (cf. titulum: Ἀλέξανδρος ἢ ψευδόμαντις). concil. deor. 12 πᾶς λίθος καὶ πᾶς βωμὸς χρησμωδεῖ, ὅς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ και στεφάνους ἔχῃ καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν. cf. enuntiatum antecedens. hoc igitur loco γόης adiectivi partibus fungitur, cum Wachsmuth ad Timon. frgm. III 1 (Πυθαγόρην τε γόητας ἀποκλίνοντ' ἐπὶ δόξας) adnotaverit (sillogr. edit. p. 94) vocem γόης h. l. sine exemplo adiectivi naturam induere. alia exempla reperis apud Athen. VI 61 252 F Μιθριδάτου δ' ἀναγράφει κόλακα Σωσίπατρον ἄνθρωπον γόητα Νικόλαος ὁ περιπατητικός. Lucian. pisc. 15 ὁρᾶτε. μὴ οὐ Φιλοσοφίαν οὗτός γε, ἀλλὰ γόητας ἄνδρας ἐπὶ τῷ ἡμετέρῳ ὀνόματι πολλὰ καὶ μιαρὰ πράττοντας ἠγόρευσε κακῶς. dial. mort. 13 5 γόης, ὦ Διόγενες, ἄνθρωπος καὶ τεχνίτης. Alex. 25 τίνι γὰρ ἂν ἄλλῳ δικαιότερον προσεπολέμει γόης ἄνθρωπος καὶ τερατείᾳ φίλος. Plut. de Pyth. orac. 25 (exscripsi supra).

ipse Oenomaus illud verbum repetit VI 7 11 τί δ'; ὅτι ζῷά ἐσμεν πῶς ποτ' ἄρα ἐξεύρομεν; πῶς δ' ὅτι καὶ ζῴων, ὡς μὲν ἂν ἐγὼ εἴποιμι, ἄνθρωποι, καὶ ἀνθρώπων ὁ μὲν γόης (intellegit vatem), ὁ δὲ γόητος ἀπελεγκτής (intellegit se ipsum) · ὡς δ' ἂν σύ, ὁ μὲν ἄνθρωπος, ὁ δὲ θεός, καὶ ὁ μὲν μάντις, ὁ δὲ συκοφάντης.

---

[1] Curtius. Griech. Etymol.[5] p. 477.

De auctoribus et de fide Oenomai.

Oracula quae congessit Oenomaus quadraginta fere sunt numero, quorum dimidia pars apud eum solum aut saltem primum occurrit, dimidia pars ab antecedentibus quoque scriptoribus, imprimis ab Herodoto, servatur. sed neque ex hoc ipso neque ex ceteris quos quidem hodie novimus scriptoribus eum oraculorum versus desumpsisse indicio sunt magnae scripturae discrepantiae. fortasse autem unde provenerit pars illorum oraculorum quae nisi apud Oenomaum non exstant, cum aliqua probabilitatis specie dici poterit. qua in re sequor Luebbertum (de Pindari poetae et Hieronis regis amicitiae primordiis et progressu. Bonnae 1886 p. 14 ss.) cuius ratiocinationis summa haec fere est: Plinium nat. hist. VII 152, ubi de Euthymo narret, usum esse Callimachi quodam libro atque eo qui περὶ ἀγώνων inscribatur quem illi vindicaverit Dilthey. Callimachum autem — qui mos scriptoribus περὶ ἀγώνων communis fuerit — veri simile esse non solam hanc de Euthymo pugile historiam tractavisse — praesertim cum ea de re singularem hanc fuisse, quod „viventi etiam tunc sentientique“ ut consecraretur evenisset, auctor diserte tradiderit — sed pugilum apotheoses coniunctim eodem capite enarravisse. atqui Oenomaum toto libri quinti capite tricesimo quarto (Eus. pr. ev.) de nonnullorum pugilum ἀποθεώσει vel ἀφηρωΐζει disputare et inter se simillimas esse illius capitis enarrationes. licere igitur conicere Oenomaum ex ipsius Callimachi libro περὶ ἀγώνων hausisse. — quod ita esse mihi quoque persuasum est. praeterea quae Oenomaus V 20 1 ss. de Heraclidarum migratione et de Carneorum sacrorum origine dixit, ex Callimachi Aetiis repeti posse suspicatur idem Luebbert[1]. deinde equidem nescio an ad Callimachum respiciant quae Oenomaus V 28 9 de vatibus ironice pronuntiat: καίτοι μάντις ὢν οὐχ

---

[1] meletemata de Pindari studiis Terpandreis. Bonnae 1886, p. 6 s.

ἔγνως ἡμᾶς πολλάκις καὶ παρὰ πολλῶν εἰληφότας αὐτὸ οὔτε τῆς δάφνης ἐμφαγόντων οὔτε τὸ Κασταλίας ὕδωρ πιόντων οὐδ' ἐπὶ σοφίᾳ τὴν ὀφρὺν ἀνασπασάντων; — porro quadraret in eam qua Callimacho auctore utebatur rationem, quod etiam de poetis et, ut videtur, de tyrannis propriis capitibus egit. cf. V 33. 35 et Eusebii verba in fine cap. 34. sed nolim hac in re incerta periclitari. videamus potius num etiam alii auctores Oenomai — complurium enim scriptorum opera eum delibasse duco — investigari possint.

Oenomaus enim postquam oraculum Charitoni et Melanippo datum V 35 2 detortum adtulit, sic pergit § 3: ἤκουσα δέ σου καὶ διαλελυμένον χρησμὸν περὶ τοῦ Φαλάριδος ἐπαινοῦντα καὶ τιμῶντα, ὅτι λαβὼν ἐπιβουλεύοντας (Char. et Melan.) ᾐκίσατο μέν, καρτεροῦντας δὲ ἀγάμενος ἀφῆκε· Λοξίας καὶ Ζεὺς πατὴρ ἀναβολὴν ἐψηφίσαντο θανάτου Φαλάριδι, ἀνθ' ὧν ἠπίως Χαρίτωνι καὶ Μελανίππῳ προσηνέχθη. verba Λοξίας — — προσηνέχθη leguntur etiam apud Suidam s. v. ἀναβολή. ἀνοχή. Αἰλιανός.[1] Λοξίας δὲ καὶ Ζεὺς πατὴρ . . . . Φαλάριδι ἔτη δύο . . . . προσηνέχθη et s. v. Φάλαρις Ἀκραγαντῖνος κτλ. Αἰλιανός φησι περὶ τούτου· ὅτι Λοξίας δὲ καὶ Ζεὺς . . . . ἔτη δύο Φαλάριδι . . . προσηνέχθη. quibus locis nisus Wolff (Porphyr. de philos. ex orac. haur. p. 88) Oenomaum ex Aeliani de providentia libro hausisse iudicavit — quod mihi quoque persuasum est —, quamquam ille ipse dixerat p. 53: „Claudius Aelianus . . . Septimii Severi aequalis“ et p. 56: „sub . . Hadriano Oenomaus viguit“! sed optime Oenomaus Aeliani scripta in suam rem convertere potuit, si non sub Hadriano sed paullo ante Porphyrium viguit. atque haec ipsa causa accedit, cur Suidae testimonium praeferendum

---

[1] Hercher locum inter Aeliani fragmenta non recepit, quamquam in „indice glossarum quibus Suidas fragmenta Aelianea adposuit“ (edit. tom. II 287 ss.) ἀναβολή et Φάλαρις adfert nosque ablegat ad fragmenta sub num. 202 et 46, ubi frustra illa verba quaeres.

esse ducam: cf. p. 5 s. nam ex Oenomai libro Aelianum non hausisse indicant verba ἔτη δύο apud illum omissa.

Ceterum Oenomaus verba illa ἤκουσα δέ σου καί .. additamenti loco videtur adposuisse et ex auctore secundario petiisse. gravissimus eius auctor quis fuerit, ut enucleemus, praestabit eos respicere qui iam antea oraculorum corpora condiderant.[1] proficiscamur autem ab loco V 21 5, ubi Oenomaus historia Croesi enarrata sic pergit: εἰ δ' οὐδὲ τοῦτο (i. e. εἰ οὐχ ὑπὸ τρυφῆς καὶ πονηρίας ἔπαιζεν ὁ μάντις) ἀλλ' ὅτι ἐχρῆν οὕτω γενέσθαι, ἀνιεριώτατος μὲν οὗτος λόγων σοφιστικῶν· τί δ' ὅμως, εἰ οὕτως ἐχρῆν γενέσθαι, σὺ ὁ δύστηνος ἐν Δελφοῖς καθέζῃ τὰ κενὰ καὶ μάταια ᾄδων; κτλ. sine dubio in ipso eo quem delibabat fonte Croesum interire necesse fuisse legerat. in qua sententia fuerunt stoici. porro VI 7, quo capite liberum arbitrium defendit et fatum, quo cuncta regi statuebant stoici, esse negat, adgreditur in primis Chrysippum. hunc autem oracula collegisse novimus ex Cic. de div. I 3 6; 19 37; II 56 115: „tuis enim (o Apollo) oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quae ad dialecticam deferenda sint.“ statimque sequitur ipsum illud oraculum Croeso editum. dixit etiam Chrysippus de Cypseli oraculo frgm. 82[3] (Cic. de fat. VII 13), quocum componas Oenomaum V 29 1, et disputavit de Laio Oedipode ceteris frgm. 94. 95. 122 — Oen. VI 7 22 ss. et, id quod maximum est, ipsis versibus Euripidis[2] usus est frgm. 94. 122, quos Oenomaus improbat VI 7 22. 25 ss. — itaque mihi quidem constare videtur Oenomaum contra ipsius Chrysippi sententias disputasse. quod si quis tum Chrysippi libros ei praesto esse vix potuisse opponat, ex alio quodam Chrysippum prorsus secuto [— an ex eodem Aeliano? —] ista provenisse credat.

---

[1] cf. Wolff, l. s. p. 43 ss. 54 ss. — [2] Phoeniss. v. 19—20. — [3] coll. Gercke.

Jam de fide Oenomai disseram. atque quo modo ex Homero et Hesiodo versus adtulerit, supra vidimus. Archilochum quoque ita commemorat V 34 5—9. 13, ut huius carmina eum planius novisse non dubitari possit. sed num ipse Platonis libros adierit, dubito. meminit quidem certe bis: V 34 3 διὰ τί γάρ, ὦ πάτριε τῶν Ἑλλήνων ἐξηγητά, ὥς σε καλεῖ Πλάτων, ἐθέασας τὸν ἄνδρα τοῦτον; cf. Plat. r. publ. IV 5 427 BC τὰ γὰρ δὴ τοιαῦτα οὔτ' ἐπιστάμεθα ἡμεῖς οἰκίζοντές τε πόλιν οὐδενὶ ἄλλῳ πεισόμεθα, ἐὰν νοῦν ἔχωμεν, οὐδὲ χρησόμεθα ἐξηγητῇ ἀλλ' ἢ τῷ πατρίῳ. οὗτος γὰρ δήπου ὁ θεὸς περὶ τὰ τοιαῦτα πᾶσιν ἀνθρώποις πάτριος ἐξηγητὴς ἐν μέσῳ τῆς γῆς ἐπὶ τοῦ ὀμφαλοῦ καθήμενος ἐξηγεῖται. atque adludit ad locum quendam Platonis V 21 4 ὁ μὲν γὰρ ἡμίμηδος ἢ ἡμετέρης Κῦρος παρεμφαίνει μὲν τὴν ἔκτυφον μοῖραν ἀλλὰ καὶ τὴν ἄμαντιν μαντικήν, εἴ περ οὐκ ἤδη μὴ οὐ συνήσοντα τοῦ αἰνίγματος ὁ μάντις. cf. Plat. Phaedr. 230 A: ὅθεν δὴ χαίρειν ἐάσας ταῦτα, πειθόμενος δὲ τῷ νομιζομένῳ περὶ αὐτῶν, ὃ νῦν δὴ ἔλεγον, σκοπῶ οὐ ταῦτα ἀλλὰ ἐμαυτόν, εἴτε τι θηρίον τυγχάνω Τυφῶνος πολυπλοκώτερον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμμένον, εἴτε ἡμερώτερόν τε καὶ ἁπλούστερον ζῷον, θείας τινὸς καὶ ἀτύφου μοίρας φύσει μετέχον. sed potuit talia in eo quo utebatur opere prompta invenire.

De oraculis recte iudicavit Lobeck (Aglaoph. 852 not.): „quis credat Oenomaum, hominem acutissimum, cum dedita opera prophetarum fraudes excuteret, exemplo[1] vano et ficticio usum esse?“ atque eum secutus Wolff (l. s. p. 73 et 81). neque mihi veri simile est ullo modo fieri potuisse, ut oracula fingeret Oenomaus, quamquam hoc visum est Hendessio (orac. graec. Halis 1877 p. 22: „non affirmaverim illum qui hoc oraculum[2] finxit sive ipse fuit Oenomaus sive alius epica dialecto usum esse“). — age nunc iam quo modo oraculorum versus adtulerit, accuratius exponamus. non enim semper integros

[1] de εὐρυγάστορι. V 20 3.

[2] Χείρωνος φίλε τέκνον κτλ. VI 7 6.

eos descripsit sed saepe partim tantum; cuius rei haec sint exempla:

V 21 2 "Αλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. omisit igitur „Κροῖσος".

V 24 1 ὦ μέλεοι, τί κάθησθε; κτλ. omisit alterum versum (cf. Herod. VII 140), decimi dimidiam partem, undecimum; ibid. v. 2 et 4 verba posteriora omisit, cf. Her. VII 141).

ibid. §. 8 φεύγειν μηδὲ μένειν μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸν εἶναι ultimus tantum versus est ex oraculo: ἀλλ' ὅταν ἡμίονος κτλ. (Her. I 55). hos quoque versus Oenomao notissimos fuisse adparet ex ipsius verbis V 21 4 Κῦρος ἡμίονος ὢν ἐν τῷ αἰνίγματι.

V 29 2 'Ηετίων κτλ. desunt ex altero versu ἐν δὲ πεσεῖται et tertius (cf. Her. V 62):

ἀνδράσι μουνάρχοισι, δικαιώσει δὲ Κόρινθον.

item V 33 1 mancum est oraculum quod colligas ex Anth. Pal. XIV 113.

quae cum ita sint, abstinendum esse puto a verbis aliunde notis in Oenomai versus inserendis; itaque quod Dindorf (in editione sua) ex Herod. I 174 interposuit δὲ V 26 2:

'Ισθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε μηδ' ὀρύσσετε,

rursus abiciamus. neque licet V 25 2 pro ὑμῖν ὦ Σπάρτης κτλ. cum Herodoto (VII 220) legere ὑμῖν δ' ὦ Σπ. — ne in hoc quidem oraculo quicquam mutaverim: V 33 15 πατρίδα δίζηαι κτλ.

v. 4 ἔστ' ἂν ἀπὸ γλώσσης γνῷς παίδων — ◡◡ — ◡

5 ἀξύνετον πολλοῖσι λόγοις εἰρημένον — ◡.

quibus cum versibus coniungendi sunt versus supra (§. 3) commemorati. integrum enim hoc oraculum habemus in Ps.-Plut. vit. Homer. I 4 (et Anth. Pal. XIV 66) ubi hoc ordine versus se excipiunt:

ὄλβιε κ. δ. . . . .
πατρίδα δίζηαι . . . .
iam sequitur tertius Oenomao ignotus
Μίνωος . . . .
ἐν τῇ σ. μ. . . . .

εὖτ' ἂν . . . .
δυσζύνετον . . . .
δοιὰς γὰρ ζ. . . . .
ἠελίων δ. . . . .
καὶ ζῶν καὶ φθίμενος· et adduntur φθίμενος δ' ἔτι πολλὸν ἀγήρως. —

veri simile denique est in versu V 24 1

ὦ μέλεοι, τί κάθησθε; — φύγετ' ἔσχατα γαίης

primitus πόλιν vocabulum, quod quattuor codices omittunt, locum non obtinuisse, sed a librario quodam interpositum esse. —

Optime deinde Oenomaus versus oraculorum oratione soluta eisdem fere verbis interdum repetivit, quod ex his exemplis cognoscas:

V 22 3 „ἐκ τανυστρόφοιο λᾶας σφενδόνης ἱεὶς ἀνὴρ
„χῆνας ἐναρίζειν βολαῖσιν, ἀσπέτους, ποιηβόρους."

τοὺς δὲ ἀσπέτους ποιηβόρους χῆνας τίς μοι μηνύσει, ὅτί ποτε λέγουσι; τίς δὲ τὴν τανύστροφον σφενδόνην;

V 24 5 πῶς δέ, ὦ μάντι, ὅτι μὲν ἡ θείη Σαλαμὶς ἀπολεῖ τέκνα γυναικῶν ᾔδεις, πότερα δὲ σκιδναμένης Δημήτερος ἢ συνιούσης οὐκέτ' ᾔδεις; cf. oraculum antecedens. V 7 7 . . Πήλιον ἐκπρολιπεῖν . . Εὐβοίας ἄκρον ἱκέσθαι . . . χώραν κτίζειν: omnia ex versibus antea adlatis deprompta.

quam ob rem emendare licet nonnullos versus ex ipsius Oenomai verbis velut VI 7 35

„Τρηχῖν' ἐξεῖλες πόλιν Ἡρακλέος θείοιο
„ὦ Λοκρέ· σοὶ δὲ Ζεὺς ἄλλας δῶκ' ἠδ' ἔτι δώσει".

ἄλλας omnes codices praebent praeter I qui ἄυτάς. verum adscribi in Vigeri margine „γρ. ἄτας" vidit Ric. Volkmann[1] et confirmatur etiam ex verbis illis in fine §. 37 τί δ' ἡμῖν καὶ ταῖς ὑμετέραις ἄταις, ἃς αὐτοὶ ἔχειν δίκαιοί ἐστε, ὑπὲρ ὧν ἡμεῖς ἠναγκάσθημεν; porro sensu carerent verba §. 36 τί δὲ καὶ ἀπειλεῖ ἡμῖν;

[1] Jahrb. f. class. Philol. LXXXI 612.

V 28 1 Oenomaus sine dubio oraculum reddit, quod paullo supra (27 8 ἥκεις, ὦ Λυκόεργε κτλ.) adlatum erat, sed non plane idem. dicit enim (28 1) „ἥκειν“, ἔφης, „ἐκ κοίλης Λακεδαίμονος“ (sc. Lycurgum), quae verba in versibus illis frustra quaeras. sequitur Oenomaum alio oraculo usum esse, cuius primus versus hanc fere formam habebat:

ἥκεις, ὦ Λυκόεργε, λιπὼν Λακεδαίμονα κοίλην. deinde ex verbis ὅτι ἦλθεν εὐνομίαν αἰτήσων colligere licet eum secutum esse eam formam, quam etiam Diodorus VII 14 2 (exc. Vat. p. 1) praebet: ἥκεις δ' εὐνομίην αἰτεύμενος, non eam quam supra Eusebius tradit διζήμενος. nimirum attica dialecto versuum verba repetivit, quod idem fecit, ut exemplum sumam VI 7 38:

„Οἰταῖοι, μὴ σπεύδετ' ἀτασθαλίῃσι νόοιο.“ ἀλλ' οὐ σπεύδομεν, ὦ Ἄπολλον, ἀλλ' ἐλαυνόμεθα, οὐδὲ ἀτασθαλίαις, ἀλλὰ τῇ ὑμετέρᾳ ἀνάγκῃ. — unum, de quo aliquid dubitationis mihi subnatum est, restat: quod infra ipse Oenomaus habet: (V 28 2): „ἥκεις εὐνομίην διζήμενος κτλ.“ sed facile fieri potuit, ut librarius aut ipse Eusebius, cum iam supra dixisset ἥκεις εὐνομίην διζήμενος (27 8), hoc loco idem exararet, praesertim cum codices varias lectiones praebeant διζήμενος et μαντεύσων (A H). certe igitur Eusebius ex alio atque Oenomao versus V 27 8 exscripsit. haec autem res nos perducit ad examinanda alia capita nonnulla.

De capitibus nonnullis Oenomao abiudicandis.

Gaisfordium, qui in editione sua verba Oenomai minoribus litteris expressit, Eusebii maioribus, omnia recte distribuisse mihi persuasum est exceptis quattuor locis.

A.

V 20 8—10: τούτοις ἄξιον ἐπισυνάψαι τὰ περὶ Κροῖσον — ἀποδοὺς τῷ θεοφιλεῖ τὸν καρπόν minime ipsi Oenomao tribuenda esse has ob causas censeo. nonnullae enim res, si ita esset, bis commemorarentur, ut 20 8 Λυδίας οὗτος ἐβασίλευσεν et

21 1 τό Λύδιον ἀνδράποδον, 20 9 στρατεῦσαι ἐπὶ Πέρσας διανοεῖται et 21 2 ὃς μετ' ὀλίγον ἐπὶ τῇ πείρᾳ ἤμελλεν ἐρωτᾶν σε, εἰ στρατεύοι ἐπὶ Πέρσας, oraculi versus 20 10 καὶ μονονουχὶ φήσας· „Κροῖσος Ἅλυν κτλ.“ et 21 2 ᾧ οὐκ ὤκνησας εἰπεῖν ὅτι „Ἅλυν κτλ.“ — tum ei, qui priorem locum scripsit, non dubium erat, quin Apollo ipse res futuras ignoravisset: 20 10 οὔ τι ἑκών, ἔμοιγε δοκεῖ, ἀγνοίᾳ δὲ μᾶλλον τοῦ ἀποβησομένου, postea autem habes: 21 5 εἰ δ' οὐχ ὑπὸ ἀγνοίας, ἀλλ' ὑπὸ τρυφῆς καὶ πονηρίας ἔπαιζε, βαβαὶ οἷα τὰ θεῖα παίγνιά ἐστιν. — neque quadrarent, si media res enarraretur, verba 21 1 ἔοικας δὴ ὡς ἀληθῶς κτλ. sunt potius introductio quaedam, qualem saepius apud Oenomaum invenimus, velut V 26 1 ἐπικρινεῖ δὲ τὰ τοιαῦτα ἡ σοφία παροῦσα τῇ μαντικῇ καὶ οὐκ ἐπιτρέψει αὐτῇ ὡς ἔτυχε διαλέγεσθαι, ἅτε δὴ τῶν πάντων ἀνεψαμένη καὶ ἐπιθεμένη τὰ πρεσβεῖα οὐδ' ἐφήσει ματαίῳ ὄντι τῷ Πυθίῳ χρᾶν οὔτε τούτοις (sc. τοῖς Κνιδίοις) οὔτε Λακεδαιμονίοις περὶ Μεσσηνίων καὶ τῆς γῆς, ἣς εἶχον Μεσσήνιοι ἀπάτῃ νικήσαντες Λακεδαιμονίους (sequitur statim oraculum). V 31 1 διόπερ σοι καὶ νάρθηκα παραινῶ ἐπ' αὐτοὺς λαμβάνειν εἰ μὴ πείθοις μανθάνειν ἀντὶ τῶν καταπτύστων ἐρωτημάτων ἄξιόν τι τοῦ θείου φοιτητηρίου ἢ Ἀρχιλόχῳ τῷ Παρίῳ ἀποβαλόντι τὴν οὐσίαν ἐν πολιτικῇ φλυαρίᾳ καὶ ὑπὸ λύπης ἥκοντι πρὸς σὲ λέγειν· (sequitur oraculum). itaque eo ipso enuntiato, quo prooemium quoddam pronuntiat, novam rem adferre instituit. — denique si tota de Croeso expositio esset Oenomai, non opus fuisset verbis sine dubio Eusebianis interiectis V 20 10 extr.: ἐπὶ τούτοις ὁ συγγραφεὺς οἷα οὐκ ἀλόγως διαγανακτεῖ, ἄκουε. — nimirum Eusebius 20 8—10 argumento, ut ita dicam, hanc Lydorum regis historiam instruxit. idem fecit V 18 2—5; 26 6; 32 2; saepius. ipsa voce ἐπισυνάπτειν (20 8) utitur etiam V 22 7; 34 17. itaque cum Vigero, quem secuti sunt Heinichen[1] et Dindorf, verba τούτοις ἄξιον ἐπισυνάψαι —— τῷ

[1] Euseb. praep. evang. ed. Heinichen Lipsiae 1842.

θεοφιλεῖ τὸν καρπόν Eusebio tribuo, quamquam non nego aliqua huius loci verba ex Oenomao hauriri potuisse.

B.

V 23 5—7 πολὺς ἦν ὁ Περσῶν στρατός —— προσδοκᾶν ἦν. — maxime offendunt verba §. 5 οἳ δὴ (sc. οἱ Ἀθηναῖοι) τοῦτον (sc. τὸν θεόν) ὅστις ἦν οὐκ[1] εἰδότες τὸν πάτριον ἀρωγὸν ἐπεκαλέσαντο, quae cynicus minime dicere potuit, Eusebius ecclesiasticus optime. deinde Eusebius, si antecedentia essent Oenomai, §. 7 extr. non dixisset εἰκότα δῆτα ποιῶν ὁ συγγραφεὺς διαπαίζει πάλιν τὴν Ἑλληνικὴν ἀπάτην ἐξελέγχων ἐν τούτοις. atque in sequentibus (24 1) leguntur τὰ πρὸς Ἀθηναίους, pro quibus exstare deberent τὰ πρὸς αὐτούς vel τούτους. — denique — id quod maximum puto — verba Oenomai 24 1 ἀλλὰ τὰ μὲν τοιαῦτα ἴσως ἐθελοκάκου τινός ἐστιν· ἐκεῖνα δὲ δεῖ μᾶλλον εἰς τὴν κρίσιν προάγειν τὰ πρὸς Ἀθηναίους transitum faciunt ad aliam rem neque ullo modo cum narratione antecedenti in unum coeunt. — his potissimum de causis contra Gaisfordium et Dindorfium statuere nobis licebit Heinichenum, quem secutus est patrologiae editor[2], suo iure pro Eusebii verbis totum illum locum V 23 5—7 habuisse.

C.

V 25 8 ἀλλὰ ταῦτα μὲν ταύτῃ. οὐκ ἄξιον δὲ παρελθεῖν καὶ ἅπερ Κνιδίοις ἔχρησε πάλιν εὐχομένοις καὶ τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ συμμαχίαν αἰτοῦσιν Gaisford[3] et Dindorf Oenomao, Vigerus et Heinichen recte Eusebio adsignant. nam si cynici essent illa verba, et pergendum ei esset V 26 1

[1] οὐκ addit Vigeri margo.

[2] Euseb. ed. Migne (patrol. ser. gr. XXI) tom. III Parisiis 1857; continet etiam col. 1457 ss. Seguieri notas et codicum Parisinorum varias lectiones. — cf. Freudenthal, Hellen. Stud. II 199.

[3] dubitat, cum sub textu scribat: „haec usque ad finem cap. Eusebio tribuere videtur Vigerus. nescio an recte.“

ἔπαθον γὰρ οὗτοι . . (non autem ἔπαθον δὲ καὶ οἱ Κνίδιοι) et τούτῳ προσεοικός longius distaret ab exemplo ante adlato, quam ut carere possimus ἐκείνῳ pro τούτῳ. — immo Eusebius etiam hanc Cnidiorum rem parva praefatione adornat simili propositionis formula usus atque eo quem modo (sub A) adtigimus loco; illic: τούτοις ἄξιον ἐπισυνάψαι, hic: οὐκ ἄξιον δὲ παρελθεῖν.

D.

V 35 3 extr. ἐπὶ τούτοις ἅπασι καὶ τόδε προκείσθω (sequitur novum oraculum). quem locum Eusebium epitomatorem potius sapere quam cynicum Oenomaum — qui neque ullo loco ita locutus est neque ullo modo tyrannos cum Methymnaeis, quibus cum illis nihil commune est, coniungere potuit — facile quivis concedet.

Emendationes.

1.

V 20 3 καὶ ἐπειδὴ συνεχώρησε νόσος πλησία καὶ ἀπέθανεν Ἀριστόδημος, πάλιν ἐπανεχώρουν. sic codd. omnes. — Valesius (emend. I 3 p. 7): ἐξαισία vel ἀπαισία. ego quoque πλησία hoc loco nihili esse existimo, sed aliam emendandi viam ingressus sum. Oenomaus enim infra (§. 6) has res repetit: καὶ δέον σώζειν ἕνα ὄντα Κάρνον αὐτόν τε περιεῖδες καὶ ἐναποθανόντι αὐτῷ Ὁμηρικὴν νόσον ἐνέβαλες εἰς τὸ πλῆθος καὶ εὐχὰς ἐπὶ τῇ νόσῳ ἀφηγοῦ. itaque mihi illo loco verbo πλησία haud graviter mutato scribendum videtur καὶ ἐπειδὴ συνεχώρησε νόσος πλήθει vel τῷ πλήθει.

2.

V 20 6 . . ἐναποθανόντι αὐτῷ Ὁμηρικὴν νόσον ἐνέβαλες εἰς τὸ πλῆθος. dativus unde pendeat non habet. facillima mutatione omnia clara fiunt: ἐπ' ἀποθανόντι αὐτῷ, quem sensum Vigerus vertens „propter eiusdem interitum" mente iam percepit. similiter V 34 7 ἐπ' ἀποθανόντι ὀνάγρῳ.

3.

V 27 2 εἰρήνης μᾶλλον μεμνῆσθαι κελεύει καὶ ὀλιγοδείας καὶ αὐταρκείας omnes codices exhibent. sed minime illis versibus, ut pacis meminerint et paucis contenti sint, deus Lacedaemonios hortatus est, quin etiam ipsi statim ad bellicas artes incubuerunt: Paus. IV 12 2 ss. neque Eusebium in Oenomai libro legisse κελεύει, demonstrant verba eius 26 5 καὶ εἰς τὸν κατ' ἀλλήλων πόλεμον τοὺς χρωμένους αὐτοῖς ἠρέθιζον (οἱ μάντεις), εἰρήνης καὶ φιλίας δέον αὐτοὺς εἶναι βραβευτάς. itaque concedas pro indicativo κελεύει primitus locum obtinuisse videri optativum. sed cum in huius modi enuntiatis Oenomaus libentius utatur imperativo, praefero: εἰρήνης μᾶλλον μεμνῆσθαι κέλευε. cf. 28 10 λέγ' οὖν περὶ ἀνδρείας, λέγε περὶ ἐλευθερίας, λέγε περὶ ὁμοφροσύνης, τίνα τρόπον ἐγγίνεται ταῦτα πόλει καὶ μὴ ἡμᾶς τοὺς οὐκ εἰδότας κέλευε ἡγεῖσθαι τοῖς λαοῖς τῆς κελεύθου ταύτης, ἀλλ' αὐτὸς ἡγοῦ. VI 7 13 μηδὲ λέγε οὕτως· „νόστον δίζηαι κτλ." —

4.

V 28 5 δοκεῖ δέ μοι ὁ Λυκοῦργος οὗτος οὐκ ἐσχηκέναι τιτθὴν οὐδὲ σὺν θώκῳ πρεσβυτέρων οὐδέποτε κεκαθικέναι, παρ' ὧν καὶ παρ' ἧς εἶχε καλλίω τούτων ἀκοῦσαι καὶ σοφώτερα. non σὺν θώκῳ scribendum esse efficitur ex eadem voce infra (§. 6) repetita . . τοῦ αὐτοῦ . . συνθώκου qua ipse consessus πρεσβυτέρων intellegitur. idem §. 5 significetur oportet. atque cum male dicatur συνθώκῳ κεκαθικέναι, credo me non falso suspicatum esse: οὐδ' ἐν συνθώκῳ, dum modo teneas ν litteram simplici ductu significari solere.

5.

V 28 7 „εἰσὶν ὁδοὶ δύο πλεῖστον ἀπ' ἀλλήλων
ἀπέχουσαι κτλ."

cf. Diodor. VII 14 2 qui v. 2 φευκτόν, quod Gaisford et Hendess in Oenomao reponere volebant. immo lectio

codicum Eusebianorum A. H. φυκτόν etiam in Diodori versus recipienda est monente Herwerdeno (Mnemosyn. XIV 44) epici sermonis φυκτόν esse. — Diod. v. 3 ἀρετῆς (ἐρατῆς Bekker Dindorf) pro ἱερῆς, v. 4 ἡγεῖσθε, quod in Oenomao propter metrum excusserunt Gaisford Dindorf. — v. 7 Diodorus „εἰσαφικάνουσιν· τὴν δὴ πεφύλαξο μάλιστα“, unde perperam in Eusebii editionibus[1] — excepta Stephaniana — post πεφυλάχθαι interpungi facile cognoscis. porro minime veri simile Oenomaum verba τὴν δὲ πεφυλάχθαι μάλιστα pedestri sermone adposuisse. itaque, ut versus efficiatur, lenissime mutes:

„εἰσαφικάνουσι· τὴν δὴ πεφύλαχθε μάλιστα“. ἀνδρείους εἶναι κελεύεις κτλ. neque enim te offendat pro Diodori πεφύλαξο scriptum esse pluralem πεφύλαχθε, cum in hoc ut in omnibus fere quae adtulit oraculis cum ceteris scriptoribus Oenomaus discrepet.

6.

V 33 11 ἔργον ἐπετήδευεν[2], ἐφ' ᾧ οὐχ ὅπως αὐτὸς ἐθαυμάζετο ὁ ἐραστής, ἀλλ' ἤδη καὶ ἡ τῶν Ἀθηναίων πόλις, ὅτι μόνη τραγῳδοὺς ἤνεγκεν. perperam hoc loco ὁ ἐραστής intellegitur Archelaus Macedo; immo ipsum poetam desideramus. emendo igitur: ἔργον, ἐφ' ᾧ . . . . ἐθαυμάζετο ὁ ἐργάτης.

---

[1] in quibus sic verba leguntur:
„εἰσαφικάνουσι . . .“
τὴν δὲ πεφυλάχθαι. Μάλιστα ἀνδρείας εἶναι κτλ.

[2] sc. ὁ Εὐριπίδης.

Commentarium in Oenomai fragmenta nec non codicum Par. A et C varias lectiones ab J. A. Heikelio Helsingforsensi amicissimo meo denuo collatas propediem edere in animo habeo.

Index capitum.